



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Avarvs Dives. Ex. D. Cypriani, epist. 2. lib. I. Descriptio XXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

suspiciatus fuerit offensam, non est exorabilis. Si aquam calidam tardius attulerit puer Alexandrinus, tubetur continuo trecentis affligi verberibus. Si crystallum fregerit, ad mirenas exclamat. Homines per diem quingentos occidere, idem est apud Bursidem, ac tesseris ludere. Deinde ille ebrius, non tam vino, quam cruore miserorum, exclamat, *Aut Caesarem oportet esse, aut fatuum*. Parum est, cauire in homines, ni compedes oceano iniiciat; iacula immittat in solem; fluuijs plagas inurat; Iouis quotquot sunt simulachra, eadem capite truncari, & suam ceruicem imponi mander? Quoties cum ipso Ioue iurgatur, quoties illi succenset; quoties exilia, & vltimos Gedrosorum tractus minatur: nisi pluat, aut tonet, aut serenum faciat, quando ipse voluerit. Quid quod nuptiarum pompam adornat, & Mineruam, aut Lunam de caelo lapsum iri, in suos amplexus autumat; stultus, qui non videat, se eandem in capite gerere. Quid quod ipse deses, & inbellis, & effeminatus, cum conchis, & margaritis bellum gerit, dein spolia vocat, capitolio, palatioque debita & apparatusissimos triumphos instruit, quasi Phraatem, aut aruiragum ad genua supplices admiserit.

Ad summum, cum se omnium hominum, qui sunt, fuerunt, aut futuri sunt, sapientissimum dicitur, vnum ferme versiculum tenet, quem sapientissime habet in ore;

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Aut si quos alios nouit, Megabytia sunt ex tragœdijs dicta, quibus vehementer delectatur, vt, Calcare caelum restat, &c.

A V A R V S D I V E S.

Ex D. Cypriano, epist. 2.
lib. 1.

Descriptio XXXIV.

SED & quos diuites opinaris continuantes saltibus saltus, & de consilio pauperibus exclusis, infinita, ac sine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues; hos etiam inter diuitias suas trepidos, cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne præ-

do vastet, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris inuidia, calumniarum libris inquietet. Non cibus securò, somnusve contingit; suspirat ille in conuiuio, bibit licet gemmâ: & cum epulis marcidum corpus: thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se teneri alligatum, possideri magis, quam possidere diuitias, atque opes. O detestabilis cœcitas mentium, & cupiditatis insana profunda caligo, cum exonerare se possit, & leuare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere: nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt; ex qua, non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertunt. Possident ad hoc tantum, ne possidere liceat alteri. O nominum quanta diuersitas: bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas usus est.

A V A R V S, E T T E N A X.

Expresus ex Theophrasto, Plauto,
& cæteris.

Descriptio XXXV.

SORDIDUM hominem, vel potius portentum hominis, si lubet, intueie; vt vestes habet strictas, casque attritas, & tot interpolatas versicoloribus panniculis; quot sunt in cribro foramina. Cerne, vt loculos habet situ-obfitos, claues ferrugine illitas, oppletas araneis aedes, vt ipse capite est, vtque ad cutem raso, ne sæpius tonsoris opera indigeat: vt domi nudis pedibus obambulat, ne quid interim calcos dererat; citius ex pumice aquam, quam ex eo elicueris beneficium. Agrum quotidie inspicit, an limites eodem loco maneant immoti, ficum de suo horto neminem gustare sinit, neminem per suum fundum transire, aut vllum cadium pomum tollere; ignem in ædibus extinguere iubet, ne quis corroget testula: & si quis fortè vicinorum (vt sæpè fit) cultrum, securim, pistillum, mortarium, aut aliquid simile vtendum rogitet, fures venisse dicet, atque